Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

CACHEXIA SCORBVTICA,

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

GVILIELMO HENRICO,

DVCE SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM, ANGARIÆ, WESTPHALIÆ, & RELIQVA,

PRÆSIDE

PRO-RECTORE MAGNIFICO DESIGNATO

IOANNE ADOLPHO WEDELIO,

PHILOSOPH. ET MED. DOCTORE, THEORETICES PROF. PVBL. ORD. CONSILIARIO ET ARCHIATRO DVCALI SAXONICO, MED. DVC. PROV. SAXO-VINARIENSI,

PATRONO, PRÆCEPTORE AC PROMOTORE OMNI HONORIS CVLTV PROSEQVENDO

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA, MORE MAIORVM, LEGITIME CONSEQVENDI,

SOLENNI ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMISIT

IOANNES CHRISTOPHORVS SCHLEGELIVS,

SALFELDENSIS,

IN AVDITORIO MEDICO,

AD D. IVL. M DCC XIX.

HORIS, ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS.

LITTERIS IOHANNIS FRIDERICI RITTERI.

VIRIS
PRÆ-NOBILISSIMIS, CONSVLTISSIMO, EXPERIENTISSIMO, ATQVE EXCELLENTISSIMIS

DN. DAVID SIMON,

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORI, SERENISSIMI DVCIS SAXO-SALFELDENSIS CONSILIARIO, & DYNASTIÆ COMIVALLENSIS PRÆFECTO SPECTATISSIMO,

AFFINI SVO HONORATISSIMO,

VT ET

DN. JOANNI JACOBO SCHLEGELIO,

MEDICINAE DOCTORI, EIVSDEM SERENITATIS ARCHIATRO, CIVITATIS PHYSICO ORDINARIO, & CONSVLI, IAM FASCES GERENTI, VNDIQVAQVE MERITISSIMO,

PARENTI SVO PIE DEVENERANDO,

DISSERTATIONEM HANC INAVGVRALEM

IN GRATI ANIMI τεκμήριον

submissa mente

offert

IO. CHRISTOPH. Schlegel/
Med. Ddus.

I. N. I.

PROOEMIVM.

NVllibi magis omnium circumſtantiarum ratio attendenda eſt, quam in medicina, cum ſine his felix curatio expectari nequeat. Inprimis autem coniunctio & complicatio affectuum crucem figit iis, qui ſolida doctrina haud imbuti, vel non ſufficienter exercitati, ſunt.

Quidam autem horum adeo variis & miris modis ſibi inuicem miſcen-

miſcentur, vt doctrina certa comprehendi haud queant, ſed coniecturam artificioſam requirant, quidam vero ita ſe habent, vt per ſigna certa conſtituta cognoſci, eorumque curatio rationalis præceptis certis includi, queat.

Horum ex numero eſt cachexia ſcorbutica, qua de diſſertationem inauguralem elaborare bono cum DEO conſtituimus, qui noſtris auſibus benigniſſime adeſſe velit!

---

§. I.

NOmen cachexiæ ſcorbuticæ difficultatem inuoluit nullam. Cachexiæ enim vocis origo in diſſertat. D. Præſidis de cachexia videri poteſt, ſcorbutica autem dicitur, quod a ſcorbuto fouetur, cuius notionem iam ſupponere licebit, ne prolixi præter neceſſitatem eſſe cogamur. Eſt vero cachexia ſcorbutica nutritio totius corporis deprauata cum habitu eiusdem turgidulo, colore florido vel deperdito vel fallaci, aliisque ſymptomatibus, ab intemperie eius humida & ſcorbutica proueniens.

§. II. Nu-

§. II.

Nutritio deprauata dicitur, non enim alimentum partium proximum rite apponitur, nec mutationem debitam ſubit, ſed plus humidi, quam debebat, permanet, & quidem vitiati, viſcidi, lenti, particulis tartareis conſpurcati. Differentia ſpecifica, ne cum hectica, quam quidam ad cachexiam pertinere putant, confundatur, deſumitur a phænomenis ordinariis, quæ cernuntur, ſi magis pateat. Adeſſe enim ſolet habitus turgidulus & laxior, vt & color alteratus, aliaque plura poſtmodum recenſenda. Solet hinc a quibusdam ad claſſem morborum læſæ conformationis non inepte referri, nempe ad magnitudinem auctam. Quoniam autem nutritio deprauata tum hæc tum reliqua ſymtomata comprehendit, generis loco eligere maluimus. — Cumque ſymptomata, ſub quibus etiam deprauata nutritio exiſtit, morbum a quo dependent, ſupponant, etiam hic cauſa eius, nempe morbus intemperiei differentiæ loco additus eſt, nimirum intemperies humida & ſcorbutica, qua ipſa etiam a cachexia ſimplici diſtat.

§. III.

Subiectum mali huius eſt totum corpus, omnes enim eius partes deprauata hac nutritione præternaturam afficiuntur. Magis tamen manifeſte id contingit in partibus mollibus, tam internis quam externis, inprimis autem in his, quæ ad habitum externum referuntur, conſpicitur, cum ob fibras flexiles & humores transparentes mutatio vitioſa citius appareat. In mollibus autem laudatis partibus, ſiue muſculi ſint ſiue aliæ, pori & interſtitia principale ſubiectum conſtituunt. Cauſæ ſubiectum etiam hic, vt in cachexia ſimplici, & adhuc magis, ſunt viſcera, quibus chy-

lificatio & ſanguinis depuratio peragi debet, horum enim culpa, vt inferius, patebit recrementa talia generantur & retinentur, quæ intemperiem talem conſtituunt.

§. IV.

Cauſa cachexiæ ſcorbuticæ immediata eſt intemperies corporis humida & ſcorbutica. Humida notat & ſupponit lymphæ exceſſum, ſcorbutica vero eiusdem putrilaginem quandam, tartarum vliginoſum & ſalia abundantia diuerſi generis, adeoque humorum hoc vitium cauſa mediata proximior eſt. Quodſi itaque ſerum nimis abundet, & vna ita vitiatum exiſtat, neceſſario partes ſanguinis ſulphureæ balſamicæ vel deprimuntur vel vitioſe exagitantur, quæ ſubinde, vt & ſpirituoſæ & ſubtiliores, depauperantur, ac fibræ laxiores & flaccidiores euadunt. Alimento itaque, quod maſſa ſanguinea eſt, ita vitiato, fibrillarum elatere vel tono debilitato, partibusque impellentibus & impetum præſtantibus imminutis ac depreſſis, fieri non poteſt, quin deprauata conſurgat nutritio, phænomenaque in hoc affectu ſolennia oriantur. Hæc autem pro ſalium tartareorum diuerſitate, vel acore fixante, vel ſtatu lixiuioſo, eminente, aliisque circumſtantiis variare ſolent.

§. V.

Quæcunque ſerum nimis augere, ſaliaq; ſcorbutica tartarea accumulare poſſunt, ad cauſas mediatas remotiores pertinent, quæ vel naturales vel nonnaturales vel præternaturales eſſe queunt. Ex naturalibus temperamentum primũ tenet locum, vbi frigidum humidum vtrique occaſionem præbet, frigidum ſiccum vero ſeorſim ſalibus tartareis ſcorbuticis fabricandis idoneum deprehenditur, quibus præſentibus reliquæ

cauſæ,

causæ, humidum vitiose augentes, si concurrant, malum hoc excluditur. Non impediunt tamen & reliqua temperamenta huius affectus accessum, reliquis caussis præsentibus. Ætas senilis, præ aliis, ob serum vappescens saliaque aucta ita affici potest. In vegetam ætatem non facile caderet hic morbus, nisi malitia, seu inordinata nimis viuendi ratio, suppleret ætatem. Sexus sequior tam ob serosi humoris abundantiam, quam ob vitam sedentariam, & alias procliuis ad hoc malum est. Habitus corporis obesior & laxus proximior huic statui morboso ob serum abundans iam existit. Hereditaria dispositio quam maxime hic concurrit, qua & scorbutus & status cachecticus propagatur prompte.

§. VI.

Ex nonnaturalibus caussis aer frigidus & humidus tum sero augendo, tum salibus scorbuticis generandis, idoneus est. Idque eo magis, si ob locum palustrem, vliginosum semper talibus exhalationibus putrilaginosis vna refertus sit, vbi frequentius hæc cachexia conspicitur. Ob talem aeris constitutionem solennem etiam hiems & autumnus exclusioni affectus huius fauet. Non solum enim exhalationem seri superflui & recrementorum variorum aer eiusmodi impedit, sed etiam vliginosas & ad putrilaginem aptas particulas sanguini per inspirationem subinde infert, imo coagulum seri auget & promouet.

§. VII.

Cibus quantitate nimia ingestus resolui apte nequit, vnde cruditates viscidæ, salinæ, fixæ, aliæque consurgunt. Qualitate vna peccans maiorem adhuc noxam infert, si sit crassior, viscidior, acidus, salsus, fumo induratus, muriaticus,

cus, quorſum & lacticinia & ſaccharata, aliaque, pertinent. Potus nimius humidum magis, quam par eſt, auget, fecu-lentus, tartaro copioſo præditus, vappeſcens, non rite fer-mentatus, ex aqua impura limoſa confectus tartarum ſcor-buticum producit & auget.

§. VIII.

Motus nimius continuatus ſpiritus ac vires abſumen-do craſſiores & tartareas partes auget. Idem poſt paſtum ſtatim inſtitutus chylum crudiorem citius in vaſa præcipi-tat, vbi craſſiores ſanguini illatæ particulæ non tam prom-pte iterum ſeparantur, hinc magis magisque augentur. Quies excedens corpus torpidum reddit, partesque ſanguinis ſe-roſas, vt & groſſiores, viſcidas, lentas, tartareas magis accu-mulat, cum ad ſecretionem non ſatis aptæ ac mobiles red-dantur. Somnus nimius ſerum viſcidum auget, partes a-giliores obtundit, ſecretiones conuenientes impedit, vn-de ſalia acida, auſtera, tartarea augmentum capiunt. Vi-giliæ modum excedentes abſumunt partes ſpirituoſas bal-ſamicas, hinc calor minuitur, ſalia ſcorbutica augentur, vi-ſcera in officio ſuo impediuntur, & retinentur, quæ ſecer-ni & excerni debebant.

§. IX.

Excreta enim & retenta maxime ſero & ſalibus ſcor-buticis accumulandis inſeruiunt, ſi non rite ſe habeant. Bal-ſamicis enim & ſpirituoſis ſanguinis particulis nimis elimi-natis, ſeroſas, inertes, torpidas, tartareas, acidas ſalinas incre-mentum capere neceſſe eſt. Vnde ſanguinis profuſiones inconuenientes, aliæque euacuationes nimiæ, tale quid poſt ſe trahunt. Sin autem retineantur, quæ exire debebant,

tum

tum ſerum tum reliqua recrementa regurgitant, & libere tunc cum circulari humores ob copiam haud posſint, acriores redduntur, ſalibus in apricum prouenientibus. Igitur hæmorrhagiæ narium ordinariæ ceſſantes, menſium & hæmorrhoidum ordinarius fluxus ſuppreſſus, alui exretio impedita, vrinæ ſecretio imminuta, transſpiratio inhibita vel retardata, id efficere deprehenduntur. Animi pathemata tandem, motum ſpirituum ac humorum varie determinando concurrunt, vbi inprimis ea, quæ concentrare ſpiritus, humorumque motum vegetum impedire, valent, nociua obſeruantur, ita enim efficitur, vt fixiores, ſalſæ, tartareæ, viſcidæ, lentæ partes prædominium acquirant.

§. X.

Ad præternaturales cauſas pertinent tum illi morbi, qui ſanguinis purpuram depauperant, tum, qui viſceribus chylificationi & ſanguinis depurationi deſtinatis labem inſignem adferunt. Illud faciunt quoque febres, continuæ ardentes quandoque, magis tamen intermittentes & chronicæ, & in his maxime quartana, quæ vna vel inuenit ſcorbutum vel facit, & id quidem eo magis, quo minus rite tractantur. Intemperies ventriculi, reliquorumque viſcerum, horumque debilitas, laxitas, obſtructio, ſcirrhus, corruptio, chylificatione, ſanguificatione & ſanguinis depuratione impedita, malum eiusmodi excludunt. Hinc eſt, cur affectus hypochondriacus in his reſidens, & ſcorbuti primum gradum conſtituens, in cauſis huius cachexiæ iure meritoque numeretur. His addi debet contagium quoque, quo ſcorbutus propagari ſolet haud raro.

§. XI.

Differentias cachexia ſcorbutica partim easdem ha-

bet ac cachexia ſimplex, vbi vel incipiens vel confirmata eſt, vel latens vel patens, vti & coloris in cachexia occurrentis diuerſitas in hac reperitur; partim ſeorſim occurrit cachexia ſcorbutica frigida vel calida. Illa eſt, vbi ſalia tartarea ſcorbuticà acida magis & figentia, hæc vero, vbi illa ſalia tartarea magis lixiuioſa, acido bilioſa, rarefacientia, vna cum ſero copioſo ſuperant partes ſanguinis balſamicas. Hæc enim ſanguinis purpuram, in ſubdominio licet exiſtentem, vitioſe rarefaciunt, vnde intemperies calida conſurgit, quæ depauperationem illius ſubinde inducit & conſeruat. Reliquæ differentiæ a cauſis aliisque deſumptæ per ſe facile patent.

§. XII.

Præſentem in ægro cachexiam ſcorbuticam vt cognoſcamus, duo erunt reſpicienda, tum cachexiæ tum ſcorbuti indicia, hæc enim coniunctim illam notant. Latentis ac incipientis cachexiæ notæ ſunt inprimis laſſitudo ſpontanea, nullo tamen alio morbo manifeſto præſente, & reſpiratio difficilis, ſi corpus aliquantum mouetur, maxime aſcenſu in altum. Magis manifeſta ſi reddatur, tam antedicta ſymptomata permanent ac augentur, quam color corporis mutatus videtur, ſucceſsiue enim palleſcit æger, quod præprimis in facie ipſoque ore facilius obſeruari ſolet, pallor hic nonnunquam ad flauedinem, liuorem vel fuſcedinem inclinat, ob remixta recrementa bilioſa & acida. Sin vero lixiuioſa ſalia ſcorbutica ſerum deturpauerint, rubor faciei fallax apparet, rarefactis & ſublimatis quaſi in facie partibus ſanguinis volatilioribus. Vlterius ſi progrediatur, turgidula facies, vel ſeorſim palpebra, redditur, & reliquum corpus ſubtumidum euadit, tandem manifeſtus maiorque pedum tumor conſurgit, primitus per interualla

eua-

euanescens, postmodum vero constans, & quidem vel mollis, œdematosus, foueam pressus exhibens, vel durus, qualis etiam in aliis partibus, manibus, ventre, scroto, nonnunquam conspicitur. Laxitas adest partium & mollities, quæ, vt & tumor, lymphæ in poris musculorum reliquarumque partium stagnanti debetur. Respiratio difficilis & lassitudo artuum, inprimis crurum, quæ postmodum etiam absque motu prægresso affligunt, dependent partim ab lympha copiosiori & torpidiori, partim a defectu & depauperatione partium spirituosarum & balsamicarum, vnde & hic effectus testatur de sua causa. Pulsus debilis apparet ob defectum & depressionem partium spirituosarum, quandoque tamen etiam his, licet paucioribus, a salibus lixiuiosis scorbuticis magis & vitiose exagitatis, magnus videtur, quod tamen minime diu durat, inæqualis enim, paruus ac debilis iterum redditur. Appetitus imminutus, & a cibo inquietudo, grauitas. Sitis abest fere, vt & calor, si acor fixans magis prædominetur. Lixiuioso statu autem præsente etiam sitis vrget, calorque sentitur, qui aliquando instar febris lentæ videtur, & vel continuus apparet, vel per interualla instar febris intermittentis. Vrina tenuis est, si tartarus non separetur, tartarea vero euadens & lixiuiosa de scorbuti præsentia vna testatur. His si iungamus causas manifestas superius recensitas, quæ serum nimis augent, sufficientia cachexiæ habebimus signa diagnostica.

§. XIII.

Scorbuticam autem esse, scorbuti indicia produnt. Hic autem, quanquam sæpe insidiose se aliis morbis, & hic cachexiæ, iungat & sileat, per syndromen signorum cognosci potest, nisi manifesta eius symptomata sint præsentia.

Gingiuarum enim laxitate, putrilagine & absumptione, maculis scorbuticis & similibus apparentibus, latere nequit. Affectus hypochondriacus, qui eiusdem gradus minor est, si occurrat, vel praecesserit, si symptomata scorbuto solennia haec vel illa adsint, si antecesserint causae eiusdem manifestae, temperamentum, dispositio haereditaria, ex parentibus eodem malo correptis deprehendenda, aeris, aquae & loci conditio, vbi aeger degit, vsus ciborum scorbuto generando aptorum, vrina tartarea & similia coniunctim considerata, satis probant scorbuticam esse cachexiam.

§. XIV.

Altas radices si nondum egerit cachexia scorbutica, nec viscera enormius deturpata sequatur, frigida magis quam calida sit, aeger vegeta aetate adhuc constitutus, mortem per se inferre non solet, sed remediis aptis mature adhibitis cedit. Contraria autem his sin adsint, pro diuerso gradu vel rebelle ac resistens auxiliis malum, vel mortem inuitans, iudicari potest. Chronicum admodum malum est, ad plures saepe annos persistens, & non raro diuturnitate sua & lento progressu fallit aegros, vt leue malum putent, ac negligant, vel mutatione remediorum crebriori, vbi, vt fit, inconuenientia & noxia saepe admittuntur, deteriorem affectum & radicatum efficiant. In deterius si ruat, tum ad alia mala grauiora, tum inprimis ad hydropem transitus fit, ipsamque mortem, quod in mitiori statu euitatur, si intemperiei humidae & scorbuticae & hanc fouentium viscerum vitiatorum idonea emendatio obtineatur.

§. XV.

Cachexiam scorbuticam si curare velimus, necesse est

vt intemperiem humidam & ſcorbuticam remoueamus. Remoueri autem hæc poterit, ſi lympham excedentem decenter depleamus, eiusdem qualitatem vitioſam corrigamus ſeu ſalia tartarea ſcorbutica inuertamus & emendemus, ac tandem viſcerum vitia tollamus, robur vero ſeu tonum eorundem reſtituamus. Depletio lymphæ excedentis debita obtinetur tum per euacuantia rite adhibita, tum per ea, quæ partes ſanguinis balſamicas bilioſas deficientes reſtituunt. Euacuantia maxime ea hic conueniunt, quæ ſolum ſerum absque ſanguine, qui conſeruari potius debet, educunt. Quando vero ſeri augmento vitioſo euacuatio ſanguinis ſolennis intermiſſa, vt menſium & hæmorrhoidum ſubita ſuppreſſio, occaſionem dedit, vel aliud quid vrgeat, etiam depletio ſanguinis locum habere poteſt, ſed mature & in principio, vt reſtitutio & conſeruatio huius fluxus conuenientis fiat, in progreſſu enim, quando pars ſanguinis balſamica deturpata iam eſt ac depreſſa, non amplius conuenit.

§. XVI.

Ex euacuantibus ſerum maxime proſunt lenientia & purgantia mitiora, præmiſſis qualitatem humorum corrigentibus, fortiora enim ſalium ſcorbuticorum ſtimulum augent, exagitando nimis humores. Ex lenientibus laudari poſſunt aloetica inprimis & ex rhabarbaro parata, quæ ſerum ſuperfluum educunt, bilem vero inertem vna emendant. Vtiles hinc ſunt pilulæ tartareæ lenientes *Wedelii*, *Schrœderi*, aloephanginæ, rhabarbarum in ſubſtantia vel alias, quorſum & reliqua purgantia mitiora doſi minori data pertinent, vt hæc lenientia, ſufficienti quantitate exhi-

bita, euadunt purgantia. Præter dicta igitur purgandi fine prosunt senna, gialappa, mechoacanna alba, helleborus niger, extract. panchymag. Croll. alior. resin. scammon. pil. de gummat. Sylu. de ammoniaco Quercet. &c. Ex quibus & aliis eligi possunt scopo & circumstantiis reliquis apta. Forma purgantium pro lubitu & rei exigentia potest seligi. Infusi forma si placeat, alterantia aperientia, antiscorbutica addere conuenit.

§. XVII.

Inter serum euacuantia etiam locum hic habere possunt vomitoria, si circa ventriculum partesque vicinas hæreant cruditates serosæ viscidæ, ac sursum versus vergant, & contraindicantia non sint præsentia. Habent enim hæc id præterea beneficii, vt commotione sua in reliquis visceribus humores subsistentes promoueant, & ad exitum disponant. Nec minus commoda euacuatio seri superflui ac scorbutici contingit per vias vrinarias, quæ in naturali quoque statu iis superfluis transmittendis dicatæ sunt. Diuretica itaque maxime salutaria sunt, quæ non solum euacuant, sed etiam salibus scorbuticis corrigendis idonea habentur. Et quoniam vna alterant, selectus eorum cordi habendus est, num magis alcalica, vt sal absinth. cent. min. card. ben. ess. antimonii, tinctura tartari, spiritus eiusdem volatilis & similia prosint, quod in statu fixiori, acetoso magis fit; an vero acida, vt spirit. salis, nitri, clyssus antimonii, quæ in lixiuioso magis statu iuuant; an denique media, quæ vtrobique vtilia sunt, adhibenda, vt arcan. tartari, spir. tartari, arcan. duplicatum, sal ammoniacam eiusque flores, sal digestiuum, tartarus resolutus & reliqua, vegetabilia & alia.

§. XVIII.

§. XVIII.

Per poros cutis ſerum etiam commode eliminatur, adhibitis diaphoreticis, quæ itidem vna correctionem ſalium ſcorbuticorum præſtant. Vnde in ſtatu fixiori acetoſo volatilia, quandoque reliquis interpoſita, proſunt, maxime vero media, quæ & ſalibus alcalicis eminentibus corrigendis apta ſunt, hæc tamen magis fixiora, quæ rarefactionem & acrimoniam vna domare valent, poſtulant. Habentur ita ſpiritus c. c. viperarum, liqu. c. c. ſuccinatus, tinctura bez. mixt. ſimpl. & rectificata, mixt. antiſcorbut. eſſ. lignorum, antimon. diaphoret. aliaque ex hoc parata lap. cancror. cinnab. natiu. antimon. &c. Addere his ſerum euacuantibus & corrigentibus licet fonticulos, quibus ſine intermiſſione, ſucceſſiue tamen, id obtinetur, & certis caſibus reliquis remediis, ſine quibus ſoli vix profuerint, ſuperadduntur.

§. XIX.

Vt autem hæc, immediate euacuando, lympham excedentem deplent, ita mediate id præſtant, quæ partes ſanguinis balſamicas reſtituunt, bilemque inertem corrigunt. His enim bene ſe habentibus lympha tenuis fluxiliſque reddita accumulari nequit, ſed per organa excretoria mature & decenter ſecernitur ac excernitur. Sunt autem talia ſulphurea balſamica, ſale volatili ſimplici concentrato, vel ſimul oleoſo pollentia. Quæ itidem pro diuerſitate ſtatus præſentis ſelectum requirunt. Temperatiora enim in ſtatu lixiuioſo, calidiora & actiuiora in acetoſo fixiori, proponi debent. Ad talia pertinent aromatica omnia, acria volatilia, ſpirituoſa vinoſa, reliquis conuenienter adiecta. Ad

hæc

hæc omnino etiam pertinent olea ætherea, vt ol. caryoph. cinnam. citr. lign. ſaſſafr. radic. cinnamom. calam. arom. cubebarum &c. quæ, vt & reliqua, ſi refracta doſi addantur aliis medicamentis, temperatiora euadunt, & tuto adhiberi queunt.

§. XX.

Non autem tantum quantitas ſeri, ſed qualitas etiam eiusdem vitiata, quæ a ſalibus tartareis ſcorbuticis abundantibus dependet, corrigenda erit. Obtinebimus talem correctionem, ſi ſalia laudata inuertamus & remoueamus. Inuertunt ſalia hæc generatim terrea abſorbentia, præcipitantia, ad alcalinorum naturam accedentia, in quibus præ omnibus eminent martialia, forma ſicca, humida & media habenda, vt limatura martis cruda ſubtiliſſima, croci eiusdem varii, tincturæ eius, vt cydon. pomat. helleborata, vitriolum martis &c. ita & lap. cancrorum, conch. corallia, mater perlarum, ſapphirus reliquique lapides pretioſi, cryſtallus montana & ſimila. Inuertunt etiam enixa, vt arcan. tartari, arcan. duplicatum aliaque nitroſa, tartarus vitriolatus, flor. ſalis ammoniac. Hæc enim vtroque ſalia conſtantia, cuicunque excedenti iungantur, illius vim infringunt. Inuertunt porro ſalia hæc aperientia de quibus ſub tertia indicatione agetur, vt & euacuantia, iam laudata ſimul alterantia, quæ & inuertunt & remouent. Speciatim vero ſalibus tartareis, acidis, auſteris, figentibus inuertendis idonea ſunt alcalia, fixa & volatilia, iam recenſita aromatica, amara &c. in quibus etiam ſunt ſpir. ſal. ammon. vrinoſ. ac plantæ antiſcorbuticæ, cochlear. hepat. nobilis, naſturtium, trifol. fibrinum &c. Lixiuioſis autem, acribus & acido bilioſis debentur præter gene-

generalia tacta, seorsim acida, austera vitriolata, reliquis rite iuncta & interposita.

§. XXI.

Viscerum vitia tandem emendanda, eorumque tonus & robur restituenda sunt. Praecipuum reliquaque inducens vitium existit obstructio, qua, libero sanguinis transitu retardato, tum intemperies, tum salium tartareorum prouentus efficitur. Correctio & remotio huius impetratur aperientibus, sub quibus militant martialia, absorbentia, & alcalica iam commemorata, acria sale volatili simplici & oleoso constantia, vt, praeter laudata antiscorbutica, rad. quinque aperientes, ari, reliquaque hepatica ac splenetia vegetabilia, aromatica, carminatiua, amaricantia, ipsaque acida. Confici ex his pulueres cachectici, qualia exempla iam prostant, mixturae, infusa &c. possunt facile, vbi semper praesens status cuiuslibet aegri obseruandus, qui statim monebit omnes circumstantias considerantem, actiuioribus an temperatioribus egeat. Sub horum vsu, & alias quoque, tonus viscerum restituendus & conseruandus est, quod praestant absorbentia, moderate adstringentia & siccantia. Et ob hanc causam martialia reliquis palmam praeripiunt, quoniam aperiunt & roborant, alia tamen terrea & duriora, vt corallia, mater perlarum & similia reliquis addita non spernendam vtilitatem in hoc adferunt.

§. XXII.

Diaeta his remediis si accedat congrua, melior effectus sperari poterit. Si enim aeger humidum & frigidum fugiat aerem, a cibo copiosiori & superius notato absti-

neat, motum proportionatum loco quietis nimiæ eligat, in ſomni ac vigiliarum vſu haud excedat, ab animi affectibus noxiis ſuperius indicatis temperet, excretorum & retentorum æquilibrium conueniens obſeruet, meliorem euentum remedia, ceteris paribus, promittere poterunt.

SOLI DEO GLORIA!

ORis fallacem ſatagis remouere ruborem,
Pallorem pariter corrigis arte Tua.
Haud fallax igitur Tua tempora purpura cinget,
Nec deerunt reliqua præmia digna Tibi.

Honoris, affectus & gratulationis ergo ſcripſit

PRÆSES.

ID quod vidiſti curatum in corpore fluxo
Succeſſu, ſummi numinis auſpiciis:

 Iam

Iam methodo dextra deſcriptum nomine eodem,
In cathedra doctis plauſibus excipitur.
Inde Tibi venient merito condigna braea,
Et patriæ famæ gloria laude pari.

Nobiliſſimo Doctorando ex animo gratulabundus applaude

GEORGIVS VVOLFFGANGVS VVEDELIVS.

DVm natam, Phœbi decus, ad ſublimia mentem
Exſeris, & claro nomine digna paras,
In claros ſurgis titulos atque ampla capesſis,
Munia, Apollineo ſueta brabea choro.
Nunc Morbona tremat, nunc ſoſpes Hygea perennet,
Nec minor in patrio ſemine fama ſiet.

αὐτοσχεδιαστὶ
Nobiliſſimo Dn. Candidato affini ſuo honoratisſimo deproberabat
DAVID SIMON, D. Serenisſimi Ducis Saxo-Salfeldenſis Conſiliarius, eiusdemque Præfectus Dynaſtiæ Grefenthalenſis,

Madrigal.

Hoch-Edler Freund! die Frage fällt mir ein:
Ob auch die Aertzte wohl zu dulten seyn?
Indem man spricht:
Sie nähren sich mit andrer Leute Schaden/
Bey Schwindsucht / Flecken / Friesel / Gicht/
Und wenn der Mensch mit Kranckheit sonst beladen.

Wiewohl ich schwiege lieber still/
Weil man uns Aduocaten/
Des eben auch bezücht'igen will/
Da wir doch darzu allezeit
Was einem Part zum Nutz gedeyht/
Und nur per accidens,
Dem andern Theil zu Schaden rathen.
Wiewohl die Sache läst sich bald erklähren/
Man darff sich zwar nicht mit/ doch Von des andern Schaden nähren.

Hiermit wollte dem Hrn. Ddo Schlegeln/ seinen werthgeschätzten Freund und Gönner eine ohnschädliche und allzeit beglückte Praxin wünschen

Johann Heinrich Bartholomæi,
F. S. Hof- und Reg. Advocat. ord.

FOecundo ingenio foecundos edere fructus,
SCHLEGELI perquam docte, & amice, iuuat.
Fructibus his animi fructus iunguntur honores:
Nam lauro frontem cingit Apollo tuam.
Gratulor, & semper fœcunda vtare salute,
Id volo. Sed volo & hoc, te meminisse mei.

Scrib. gratulabundus

M. IOAN. GOTTHELF. ROSA.